

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica rogate

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica Rogate.

Evangelium Ioh. 16. v. 23. --- 30.

EXORDIUM.

Fecit olim Moyses, jussu Dei, altare, ad adolendum thymiama de lignis Setim, quod posuit contra velum, quod ante arcam pendebat testimonii, coram propitiatorio quo tegebatur testimonium. In eo summus Pontifex Aaron, & filii ejus, mane & vesperitenebantur incensum suave fragrans adolere, Domino, in odorem suavitatis, Exod. 30. 1. seqq.

Quid hoc ipso præfiguratum sit, Johannes in Apocalypsi declarat, ubi de viginti quatuor Senioribus scribit, quod stent coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sint orationes Sanctorum, Apoc. 5. v. 8. Confer, Psal. 141. v. 1.

Quam gratum enim in V. T. Deo fuit thymiama Aaronis, quod ex aromatibus, Balsamo & Onycha galbano, & thure lucidissimo confectum erat, Exod. 30. v. 35. Æque grata ne dicam gratior ipsi est presatio piorum Christianorum, quæ provenit e corde fideli. Prope enim est Dominus invocantibus. Psal. 145. v. 18. Et Chrysostomus ait: *Sicut thymiama bene confectum, delectat hominem odorantem: ita oratio justisuaavis est apud Deum*, sicut etiam inde vox jucunditatis illa dicitur, quando cœlestis Sponsus, sponsam suam Ecclesiam, & quamvis fidelem animam ita alloquitur: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, & veni. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua desiderabilis est,* Cant. 2. v. 10. 14.

Thymiama in V. T. à summo Sacerdote Aaron & filiis ejus adolendum erat, & quidem super altari, ad id destinato. Nos Christiani in Novo Testamento omnes sumus spirituales Sacerdotes, quales Christus nos consecravit. Apoc. 1. vers. 6. Ideoque & hoc privilegio gaudemus, quod ad thronum gratiæ Dei adire, & precibus nostris gratiam invenire valeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. v. 16. Sed in nomine Christi fieri oportet, hic enim altare illud est, quod Deus ad hanc rem destinavit. Heb. 13. v. 9.

De hac re etiam in Evangelio nostro agitur, quando Servator discipulos suos ad assiduas preces, & quidem in nomine suo fundendas exstimulat, cum certa exauditionis promissione.

Nos ad ejus tractationem, sine ulteriori præfamine, accessum faciemus, pro institutione contemplaturi.

I. Αἰθηρολογία, sive *notitiam nostri.*

II. Ἐπίσημοσιον, sive *notitiam Christi.*

}. J.

Exegesis.

Sicut orantis est affectus, ita erit exaudientis effectus, ait S. Augustinus, quod S. Evangelista Johannes ita explicat: *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audit nos.* 1. Joh. 5. v. 14.

Quomodo vero secundum voluntatem Dei orare debeamus, Christus nos in præ-

le-

lecto Evangelio docuit, in quo nobis quoque ansam suppeditat ad *Notitiam nostri* perdiscendam.

I. Injussus. In modo enim Imperandi dicit: Petite, unde in arbitrio nostro relicto non est, ut facere & omittere idem possimus. Dominus enim, qui hoc mandatum dedit, adeo magnus est, ut possit animam & corpus perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28. Idem, ne ignorantiam nostram excusamus, inculcatur, Psal. 50, 15. Esa. 55, 6. Joël, 2, 32. & alibi quoque.

Quicumque itaque Deum propitium habere vult, jussu ejus non contemnat oportet, melior enim est obedientia, quam victima. 1. Sam. 15. v. 22. 23.

Hic proba te, mi Christiane! utrum tu quoque preces tuas ad mandatum Servatoris tui, mane & vesperi, imo sine intermissione exantlaveris?

Hoc à multis subinde negligitur. Ipsi Apostoli segniores fuerant, quam par fuit, ideo reprehendit, dicens: Usque modo non petiistis quicquam in nomine meo. Adhuc hodie multi reprehensionem incurunt hanc, qui foci cordes ad preces sunt, easque omittunt: Admonitiones quidem nunquam deficiunt, sed quis credit auditui nostro? Esa. 53. v. 1. Omnes alia creatura jussa creatoris sui expediunt: terra quotannis panem & vinum profert, quibus cor hominis latificatur & roboratur, Psal. 104. v. 15. Solis egressio à summo caelo & circuitus ejus usque ad extremitatem ejus, Pl. 19. v. 6. 7. Mare manet in ambitu suo, quem non præterit, quia Deus ei arenam terminum posuit, Jer. 5. v. 22. Quinimo ignis, grando, nix, fumus, spiritus procellarum faciunt verbum ejus. Pl. 148. v. 8. sed nos, qui rationales creatura sumus, hunc Domini

nostri jussu, Petite, vel, ut Paulus ait: indefinenter orate, 1. Theff. 5. v. 16. adeo leviter æstimamus. Quid hic aliud manebit nos, quam pœna Dei certissima? Es. 1, 20.

Ne itaque despiciamus hunc Domini jussu, nec intermittamus orationem. Tristatur aliquis vestrum, oret. Multum enim valet, d. precatio justis assidua. Jac. 5. v. 13. 16.

Nunquam sumus sine cruce, sed symbolum nostrum est: Intus pavores, foris pugna, 2. Cor. 7. v. 5. Ideoque nunquam cessamus precari, sed cum Mose *ex utraque parte manus fulciamus*, Exod. 17. v. 12. *hic, cum Dei omnipotentia, illic, cum veritate Dei*, ingeminantes cum Davide: Tibi dixit cor meum, quærite faciem meam, faciem tuam, Domine, requiram. Psalm. 27. v. 8.

Oremus manè surgentes, à manè enim usque ad vesperam immutabitur tempus. Sir. 18. v. 26.

Oremus cubitum euntes, multi, in lecto occisi sunt, ut Holofernes Judith 13. 10.

Oremus accumbentes, ut leguminibus & aquæ nostræ benedicat Deus, sicut Danieli, & sociis ejus, quorum vultus meliores & corpulentiores apparuerunt, præ omnibus pueris, qui vesciebantur cibo regio, Dan. 1. v. 15.

Oremus de mensâ recedentes, eiq; gratias agamus, qui nos adeò affatim cibavit, Sir. 2. v. 3.

Oremus domo egredientes, quia multi, postquam sani exierunt, ægroti vel mortui in ædes relati sunt, hæc enim citata in oculis Dei, Sir. 18. v. 26.

Oremus revertentes domum, ut Dominus laboribus vocationis benedicat, Paulus siquidem plantat, Apollo rigat, Deus verò incrementum dat, 1. Corinth. 3. v. 6.

Inter-

Intercedamus pro Magistratu, 1. Tim. 2. 12.
Intercedamus pro Ministerio verbi,
 Psalm. 68. v. 34. 1. Cor. 15. v. ult.

Intercedamus pro Benefactoribus, Prov. 5.
 v. 16. Rom. 12. v. 13. Ut Deus reddat gra-
 tiam. Sir. 3. v. 34.

*Intercedamus denique pro omnibus homi-
 nibus*, amicis & inimicis. At inimicos quod
 attinet, hoc cum discrimine, ut personam
 eorum, non actiones precibus commende-
 mus. Quando enim mundus Evangelium
 persequitur, in eo Christus pro ipso orari
 non vult, Joh. 17. v. 9. ut Deus ipsi conniveat.
 Minime. Sed ut ejus propositum retundat,
 & impediatur, ut Moses contra Core & asse-
 clas ejus. Num. 15. v. 15.

Sic & nos precari debemus, ut Deus ex
 inimicis amicos faciat, aut conatum eorum
 inhibeat, aut citius deleat, quam Evange-
 lium & regnum Christi interire sinat.

Hoc debitum nostrum est, quod juxta
 mandatum Christi observare tenemur.

Hoc sedulo observavit Jacob, Gen. 32. 9.
 seqq. David, Ps. 18. 7. Ps. 55. 18. Rex Josaphat,
 2. Chron. 20. v. 12. Hiskias, 2. Reg. 18. v. 19.

Idem, si ad exemplum horum, observa-
 verimus, non destituemur auxilio Dei. Sir. 2.

II. *Modus*, qui observari debet (v. 13.)

1. *Ratione objecti*, quicquid petieritis pa-
 trem, ait Christus, dabit vobis.

Vocabulum *Patris* duplicem hic sensum
 habet, vel enim accipi potest *Personaliter*,
 pro prima divinitatis persona, quæ Pater
 vocatur, quia ex essentia sua filium sibi co-
 æternum genuit, Psalm. 2. v. 7. Deinde *Ef-
 fentialiter*, de omnibus tribus Deitatis per-
 sonis, propter affectum paternum, sicut &
 in Oratione Dominica sumitur, Matth. 6.
 vers. 9.

Perinde igitur est, siye orationem no-

stram ad totam S. S. Trinitatem in genere, si-
 ve ad quamlibet personam in specie diriga-
 mus, sunt enim unius, ejusdemque essentia,
 omnipotentia, honoris & gloria. 1. Joh. 5. 7.

2. *Ratione subiecti*, quod esse debet *fidelis
 Christianus*. Christus enim ad Discipulos
 suos ait: Quodcumque vos petieritis in no-
 mine meo patrem, dabit vobis. Quicumq;
 itaq; rectè ad Deum orare, & de exauditio-
 ne certus esse vult, verus Christianus sit,
 oportet, qui actâ seriâ pœnitentiâ peccata
 fugit, & voluntatem Dei facit, Joh. 9. v. 31.
 qui spiritum precum ab eo impetrat, Zach.
 12. v. 10. & in spiritu & veritate orat, Joh. 4.
 v. 24. Deus enim peccatores non audit, Joh.
 9. v. 31. Sed oratio impii est abominatio cor-
 ram Deo. Prov. 28. v. 9.

3. *Ratione adjuncti*, & mediatoris, in cu-
 jus nomine orandum, qui est Servator no-
 ster Jesus Christus. Amen, Amen dico vo-
 bis, si quid petieritis patrem *in nomine meo*,
 dabit vobis.

Per nomen Christi, hîc non intelligitur
 nomen externum, ut literis & syllabis con-
 stat, sed Christus *Ἰησοῦς Χριστός*, unde in no-
 mine Christi orare est, eum quoad utramq;
 naturam adorare, pro mediatore solo eum
 agnoscere, & in ipsius merito & intercessio-
 ne preces fundare. 1. Tim. 2. v. 5. Hebr. 7.
 v. 25. 1. Joh. 2. v. 1. 2.

*Hic velim te respicias, mi Christiane! &
 probes*

1. *An orationem tuam semper ad Deum
 trinum dixeris?*

Equidem inter nos Lutheranos nemo
 facile reperitur, qui nesciat Deum solū ado-
 randum esse, id enim clarissimè scimus ex
 Deut. 6. v. 5. Matth. 4. v. 10. Interim tamen,
 facile inveniuntur, qui in cruce constituti, si
 ea diutius durat, & auxilium non illico
 sequi-

sequitur, animum abjiciunt, & cum illo apud Virgillum dicunt:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Pontificii Sanctos demortuos loco Dei invocare amant, & sic scdam idololatriam committunt. Cum tamen Deus alteri honorem suum non dare velit, Esa. 42. v. 8.

Oraturi, itaque Deum invocemus, qui operatur salutem in medio terræ. Psal. 74. vers. 12. Deum qui dives est misericordia, Rom. 10. v. 13. Psal. 102. v. 18. Psal. 38. v. 10.

2. *An orationem tuam ex hypocrisi, vel seriâ cordis contritione & devotione fuderis?*

Hoc caput rei est. Spes enim hypocritæ peribit, Job. 8. v. 13. Sicut & preces respuuntur, quæ manu sanguinæ plenâ offeruntur. Esa. 1. v. 15.

Quam absolum foret, si quis precaretur: Sanctificetur nomen tuum, & interea sanctissimum Dei nomen impiâ vitâ profanaret? Quam absurdum si oraret: Adveniat regnum tuum, & ipse interea, regnum Dei gratiosum in corde suo supprimeret, & diabolo, mundo & carni se regendam permitteret? Quam ætæror, si rogaret: Domine fiat voluntas tua, cum interea voluntati Dei repugnaret? Quam inconveniens, si peteret: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & ipse interea panem proximi per fas & nefas abriperet? Item, si quis diceret: Remitte nobis debita nostra, & malitiosè in peccatis perseveraret? Ne nos inducas in tentationem, & petulanter se in tentationem præcipitaret? Si denique oraret: Libera nos à malo, & malitiosè corporis & animæ malis se immitteret? Hoc non esset precari, sed divino Numini illudere. Hinc Siracides, avertere

à delicto, & ab omni delicto mundare cor, jubet. c. 38. v. 10. & Paulus, levare manus puras vult. 1. Tim. 2. v. 8. Nisi hoc factum fuerit irritæ preces fiunt. Esa. 1. v. 15.

3. *An in nomine Christi, & non alterius Deum comprecatus fueris?*

Quando Judæi in V. T. aliquid à Deo rogatum ibant, nomina Majorum suorum Deo proponebant, quod fecerunt, Moses, Exod. 32. v. 9. seqq. Salomo, 2. Ch. on. 6. v. 14. seqq. aliique.

Sed in N. T. alium habemus Mediatorem, quem Deus ipse commendavit nobis, hic est, homo Jesus Christus, 1. Tim. 2. v. 5. Cum hoc Benjamin possumus coram facie patris cœlestis animosè comparere, Gen. 45. v. 4. Cum hoc pontifice deferuntur suspiria nostrain Sanctuarium, Exod. cap. 28. v. 29. In hoc Altari aureo thymiana precatationis sursum rectâ ad Deum ascendit, Exod. 30. v. 30. In hoc angulari lapide possumus niti, & cum felici successu orare, Exod. 17. v. 12.

In Papatu in nomine Mariæ orare, eaque interpellatrice uti solent: sed impiè. *Oratio enim, qua non fit per Christum, non modo non potest delere peccatum: sed & ipsa fit peccatum*, ut Augustinus loquitur. Nemo enim inter sanctos ejus integer, Job. 15. v. 15. Sed in Christo, velut in dilecto filio, nos pater gratificavit. Eph. 1. v. 6.

III. *Pondus.* Amen, Amen dico vobis, inquit Servator, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Est enim pater misericordissimus, cujus viscera conturbata sunt super nos, Jer. 31. vers. 20. Propterea nobis qui gratia ejus excidimus, quando revertimur, occurrit, nos amplectitur, & osculatur, ut exemplum perdit,

Cc

filii

Dominica Rogate.

Evangelium loh. 16. v. 23. --- 30.

EXORDIUM.

Fecit olim Moyses, jussu Dei, altare, ad adolendum thymiama de lignis Setim, quod posuit contra velum, quod ante arcam pendebat testimonii, coram propitiatorio quo tegebatur testimonium. In eo summus Pontifex Aaron, & filii ejus, mane & vesperitenebantur incensum suave fragrans adolere, Domino, in odorem suavitatis, Exod. 30. 1. seqq.

Quid hoc ipso præfiguratum sit, Johannes in Apocalypsi declarat, ubi de viginti quatuor Senioribus scribit, quod stent coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sint orationes Sanctorum, Apoc. 5. v. 8. Confer, Psal. 141. v. 1.

Quam gratum enim in V. T. Deo fuit thymiama Aaronis, quod ex aromatibus, Balsamo & Onycha galbano, & thure lucidissimo confectum erat, Exod. 30. v. 35. Æque grata ne dicam gratior ipsi est presatio piorum Christianorum, quæ provenit e corde fideli. Prope enim est Dominus invocantibus. Psal. 145. v. 18. Et Chrysostomus ait: *Sicut thymiama bene confectum, delectat hominem odorantem: ita oratio justisuaavis est apud Deum*, sicut etiam inde vox jucunditatis illa dicitur, quando cœlestis Sponsus, sponsam suam Ecclesiam, & quamvis fidelem animam ita alloquitur: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, & veni. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua desiderabilis est,* Cant. 2. v. 10. 14.

Thymiama in V. T. à summo Sacerdote Aaron & filiis ejus adolendum erat, & quidem super altari, ad id destinato. Nos Christiani in Novo Testamento omnes sumus spirituales Sacerdotes, quales Christus nos consecravit. Apoc. 1. vers. 6. Ideoque & hoc privilegio gaudemus, quod ad thronum gratiæ Dei adire, & precibus nostris gratiam invenire valeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. v. 16. Sed in nomine Christi fieri oportet, hic enim altare illud est, quod Deus ad hanc rem destinavit. Heb. 13. v. 9.

De hac re etiam in Evangelio nostro agitur, quando Servator discipulos suos ad assiduas preces, & quidem in nomine suo fundendas exstimulat, cum certa exauditionis promissione.

Nos ad ejus tractationem, sine ulteriori præfamine, accessum faciemus, pro institutione contemplaturi.

I. *ἡ δὲ προσηγορία, sive notitiam nostri.*

II. *καὶ προσευχῶν, sive notitiam Christi.*

}. J.

Exegesis.

Sicut orantis est affectus, ita erit exaudientis effectus, ait S. Augustinus, quod S. Evangelista Johannes ita explicat: *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audit nos* 1. Joh. 5. v. 14.

Quomodo vero secundum voluntatem Dei orare debeamus, Christus nos in præ-

lc-

fili probat, Luc. cap. 15. v. 10. Eph. 3. v. 15.

Non habemus igitur immisericordem Nabalem, qui indigentiam Davidis sublevare volebat. 1. Sam. 25. v. 10. Nec divitem epulonem, qui in omnium rerum affluentia vivebat, & Lazaro micas de mensa cadentes invadebat, Luc. 16. v. 21. Sed patrem nostri amantissimum, qui & potens est, omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus. Eph. 3. 20. Ideoq; nobis oratione apprimè commendata habeamus.

Est enim 1. *Medium comparandi panem*, quod in annonæ caritate utiliter potest adhiberi. Os. 2. v. 11. 22.

Hoc testantur Exempla, Hagar, Gen. 21, 17. Moyses, Exod. 16, 14. Eliaz, 1. Reg. 19, 6. 8.

Quin adhuc hodiè certum est, quod omnes qui Dominum precibus sollicitant, non destituentur omni bono. Psalm. 34, 11.

2. *Medium comparandi pacem*, Ecce, inquit Dominus, ego devolvam illis deprecationem pacis & veritatis. Jer. 33. v. 6.

3. *Medium comparandi sanitatem* quo Pestilentia, febres & omnes morbi fugari possunt.

Hæc est verum *ovum aureum*, quod omnes nocivos humores expellit. *Verum amuletum*, quod nullum venenum admittit. Genuinum *aureum portabile*, quod hominem immortalitate donat: Vera *manus Christi*, quæ omnia mutare valet. Pl. 77, 11.

Hiskias hoc medio vitam suam in annos quindecim prolongavit, Esa. 38. v. 6.

Bartimæus eodem visum recuperavit, Luc. 18. v. 35.

Jonas ex alvo ceti illo ipso liberatus, Jon. 2. v. 11.

Eodem si nos usi fuerimus, certissimè liberabimur. Sir. 2. v. 11.

4. *Oratio est scala cæli, & medium comparandi.*

1. *Spiritus sancti donationem*, quemadmodum enim ignis cælo descendit, & devoravit holocausta & victimas, cum Salomo preces funderet, 2. Chro. 7. v. 1. Sic quando nos spiritualia sacrificia precum Deo offerimus, Spiritum suum sanctum velut flammam pentecostalem ille misurus est super nos, ut Christus ipse testatur, Luc. 11. v. 13.

2. *Fidei augmentationem*. Est enim quasi oleum spirituale, quo lampades nostras exornare, & quando fides nostra tentationis tempore languescit, linum fumigans, reacendere oportet, ad exemplum Apostolorum, Luc. 17. v. 5.

3. *Aeternam glorificationem*. Omnia enim terrena bona viliora sunt, quam ut iis Deus fidem precationem remunerare velit, quin potius cælum & seipsum in spiritu & veritate petentibus largiturum se promittit. 2. Cor. 6. v. 15. Psalm. 84. v. ult.

5. Tandem est *organon organorum*, ut Chrysostronus appellat. Matth. 18. v. 19.

Agnoscamus igitur efficaciam devotæ orationis, nec desistamus cum muliere Cananæâ, donec Dominus exaudiat, & opem ferat. Matth. 7. v. 7.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, & *ergo notis*, sive *notitiam Christi* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc:

1. *Tanquam Magister orandi solertissimus*, Praeit enim nobis:

1. *Præcepto*. Ostendit enim nobis, quomodo, ad quem & per quem orare debeamus. Si quis in iudicio constitutus, quempiam à partibus suis habet, qui ei literas supplices adornat, spem victoriæ præ alio habet. Sic neque nos causam nostram desperare debemus, quia Christus ipse nobis orationem supplicatoriam concinnavit. *Christus sedens ad*

ad dextram patris, in ore nostro verba sua videns, & in corde nostro sua precepta, & hic nos custodiet, & futuro evo dignos efficiet, ut Augustinus ait. Hoc de Oratione Dominicâ intelligendum venit, quam ille Discipulos suos docuit, Matth. 6. v. 9.

2. *Exemplo. Oravit enim*

1. *Ardenter*, præfert. cum in horto Oliveti, mortis agonē subiturus esset, Luc. 22, 44. Sic nos quoq; ardēter orare debem9 Ps. 145, 19.

2. *Reverenter*. Pronus enim in terram cadebat. Sic & nos. Judith 9. v. 16.

3. *Confidenter*. In summo enim discrimine Deum patrem suum vocat. Sic neque nos in cruce animum despondeamus, sed in Deo Patre nostro confidam9. Hebr. 12, 7.

4. *Frequenter*. Tertiâ enim vice orationem suam repetiit. Sic & nos precando instemus, dicentes cum Patriarchâ Jacobo: Non dimitam te, nisi benedixeris mihi. Gen. 32. v. 26. *Inter omnes enim virtutes sola perseverantia coronatur*. Veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. v. 3.

5. *Obedienter*, voluntatem enim suam Patris sui voluntati subiecit, & dixit: Pater si vis, transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. 22. v. 42. Sic etiam nos in omnibus voluntatem nostram abnegantes dicamus: Domine tua voluntas fiat. Ipse enim est medicus noster Exod. 15. v. ult.

Scit ille tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum
Spes hæc reposta nobis.

Und weiß wol wenns am besten ist /
Braucht auch an uns kein arge list /
Des solln wir ihm vertrauen.

Quodcunq; itaq; Magister hic noster nobis præscribit, diligenter exantlare debemus, ita ut oremus pro *Magistratu*, vult n. ut demus *Cæsari*, quæ sunt *Cæsaris*, Matth. 22, 21. id-
eoq; Paulus jubet, 1. Tim. 2, 2. Rogemus pro

Ministerio verbi, messis n. magna est, rogate ergò Dominum messis, ut extradat operarios in messem suam. Matth. 9. v. ult. Prece-
mur pro *Ægrotis*, ipse n. ingemuit, & ad coelum suspexit, cum mutum & surdum cura-
vit Marc. 7, 34. Intercedamus quoq; pro *hos-
sibus*, ipse n. pro crucifigentibus suis oravit,
Luc. 23, 34. Petamus mortem beatam, quia ipse spiritum suum Deo patri commenda-
vit, Luc. 23, 34. Sollicitemus vitam æternam, ipse n. orat: Clarifica me pater, ap. te ipsum eâ claritate, quam habui prius, quam mundus fieret, apud te. Joh. 17, 5. Sic etiam desiderio vitæ æternæ suspiremus, Veni, Domine Jesu, Apoc. 22, 10. sive cum Paulo: Dissolvi cupio, & esse cum Christo. Phil. 1, 23.

Quia itaque Magister hic nobis prævit in vitâ & doctrinâ, verbis & operibus, ut sciamus, quod, quomodo & quid orare debeamus, nostrum erit, ut insistamus vestigiis ejus, & preces nobis commendatas habeamus, quod optimum Christianorum propugnaculum est, quo Diaboli impetum retundere, & à Deo omnia, quæ corpori & animæ salutaria sunt, impetrare valent. Idè Lutherus noster vocavit *Die allmächtige Kaysen*, i. e. rem omnipotentem, quo viscera Dei commovere possumus, ut nostrum misereatur. Jer. 31. o.

II. *Tanquam executor paternæ voluntatis obedientissimus*. Idè ait: Exivi à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.

Hoc Compendium est totius sacrae scripturae, quod de Messia personâ, officio, imò in genere de universo salutis negotio homini Christiano scitu opus est.

Hic enim considerare debemus

1. *Christi progressum*, qui intelligendus est, de æternâ ejus generatione. Egressus n. ejus ab initio est, à diebus æternitatis,

Cc 2 Mich,

Mich. 5. v. 2. Idem Apostoli continuo dicunt: Nunc scimus, quod scis omnia, omnia enim scire nemini nisi Deo competit. Coessentialem igitur Deo patri confitentur, unde & Christus ipse ait: Ego & pater unum sumus, Joh. 10. v. 30.

2. *Christi ingressum*, quo incarnatio ejus & nativitas temporalis indigitur. Venire enim in hunc mundum S. Johanni idem est, quod nasci, Joh. 1. v. 9. Imò complectitur hoc ipso officium suum, propter quod in mundum hunc venit, Joh. 3. v. 16.

3. *Christi egressum*. Neque enim semper eo modo in mundo perseveravit, quo cum discipulis in diebus carnis conversatus est: sed redemptione generis humani consummata mundum hunc deseruit:

1. *Per ascensionem*, Act. 1. v. 11.

2. *Per visibilis presentie subtractionem*. Etsi enim nobiscum manet omnibus diebus usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. attamen non amplius visibiliter nobiscum agit sicut cum Apostolis, ut eum videre & palpare possimus, 1. Joh. 1. v. 1.

3. *Per formae servilis depositionem*. Hic enim status exaltationis incipit, quod Dominus, non servus amplius sit, in gloria Dei patris, Phil. 2. v. ult.

Ex hoc verò neququam sequitur, quod secundum humanitatem suam non amplius in terris sit, nec in sacrâ cenâ corpus & sanguinem suum, sub pane & vino nobis exhibere possit. Sicut enim à patre exivit, & tamen manet in sinu patris, Joh. 1. v. 18. sicut cœlo venit, & tamen semper est in cœlo, Joh. 3. v. 13. sic etiam mundum deseruit, non ut in mundo non ultra esset, sed ut visibiliter præsens non esset. Idem Paulus ait: Ascendit super omnes cœlos, ut omnia

impleret, intellige *humanitate suâ, quia divinitate suâ jam ante impleverat*, ut Theophylactus explicat, Confer Eph. 4. 10.

4. *Christi regressum*, ait enim: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Hoc ipso propriè respicit adscensum suum, & consequentem ad dexteram Dei exaltationem, ubi ad plenissimum usum communicatæ divinæ Majestatis & gloriæ erectus est, de quo Petrus: Certissimè ergo sciat omnis domus Israël, quia Dominum & Christum fecit Deus hunc Jesum, Act. 2. v. 36. Quo ipso Psalmum octavum respicit, in quo de Majestate Christi hominis prædictum. Vide Psalm. 8. v. 7. 10.

Hic itaque totus cursus est, quem Christus juxta consilium SS. Triados propter nos homines perfecit. Unde Ecclesia:

Egressus ejus à patre,
Regressus ejus ad patrem,
Excursus usque ad inferos,
Rekursus ad sedem Dei.

Sein Lauff kam vom Vatter her/
Und kehrt wieder zum Vatter/
Fuhr hinunter zu der Höll/
Und wieder zu Gottes Stuhl.

III. *Tanquam Dominus secundum utramque naturam omniscius*. Sic enim Apostoli: Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quod à Deo existi.

Quod non ita intelligendum, ac si Apostoli ante planè nescivissent, Christum esse verum Dei filium, & mundi Messiam: hoc enim non latuisse ipsos, Christus ipse confitetur, inquiens in præcedentibus: ipse pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exivi. Confer cap. 17. v. 8. Sed intelligendum hoc est, de *majori fidei incremento*, ut Cyrillus explicat.

Rem

Rem ipsam verò quod attinet, omniscientia est proprietas solius Dei, Jer. 17, 10. Psalm. 139. v. 2. ideò nullum est dubium, quin Christus juxta divinam suam naturam omnia sciat: sed humanitati ejus nonnulli id omninò denegant, nosq; qui illud eidem attribuimus, Eutychnianismi insimulare non verentur, prætendentes, quòd nos discrimen naturarum tollere, & humanam, naturam divinam, æquare hoc ipso velimus. Sed injuriam nobis inferunt. Secundum enim divinam naturam omniscius est Christus *ὡς ἰσοδύς*, velut filius patri coæternus: secundum humanam verò naturam, hæc & alia divina idiomata in tempore accepit *ὕπὸ σαρκὸς*, vi unionis personalis, ita ut quoad divinam naturam sint & maneat naturalia idiomata: juxta humanam verò sunt *χρησιματά*, quæ ipsi vi unionis personalis communicata sunt. Itcirò manet hoc discrimen, quod divina natura maneat divina natura, & humana maneat humana natura, sicut videmus, ignem ferro proprietates suas communicare, ut luceat & urat, & tamen proprietates hæc non sunt ferri sed ignis, ut veteres hoc mysterium per hoc simile explicarunt.

Quia verò Christus tum temporis in statu Exinanitionis constitutus, plenarium divinam Majestatis & gloriæ usum deposuerat, Phil. 2. v. 7. ita ut non semper, sed quan-

do & quomodo ei libuit, eam usus est: ideò hoc dictum magis de *κτῆσει* communicatæ omniscientiæ, quam de plenariâ *χρησει* intelligendum est. Verè enim in statu Exinanitionis nonnulla ignoravit. Vide Matth. 21. v. 19. Marc. 13. v. 32. ideoque ut alius puerulus ctevit, sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, Luc. 2. v. ult.

Quodsi enim communicatâ divinam Majestatem & potestate plenariè uti voluisset, Judæi ipsum neque capere neque vincire, neque crucifigere atque occidere potuissent, & sic opus redemptionis humanæ impeditum fuisset. Ideo seipsum exinanivit, & servi formam induit, Phil. 2. v. 7. nostri causâ, ut ipse ait: servire me fecisti in peccatis tuis, Esa. 43. v. 24. Sed nunc omnia scit, & potest, nunc ubique quoque præsens est nobis, secundum utramq; naturam, & liberare valet omnes, qui ipsum invocant, quod consolatione plenum est in omnibus adversitatibus. Quodsi enim omnia scit, ideoque & quibus nos indigemus, novit, Matth. 6. v. 32. Et quomodo pater miseretur filiorum, miseretur timentium se, Psalm. 103. v. 13. ut non destituantur omni bono, Psalm. 34. v. 11. sed vitam habeant, & abundantius habeant, Joh. 10. v. 10. Quod nobis omnibus ex gratiâ largiri dignetur, Deus ter Opt. Max. propter Servatorem nostrum Jesum Christum, Amen.

Dominica Exaudi.

Evangelium, Iohan. 15. v. 26. c. 16. v. 1. --- 4.

EXORDIUM.

Cum Deus septuaginta seniores Mose in officio adjungere & ordinare vellet, ipse descendit per nubem, auferens de Spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta